



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. IX. Quæ partes informentur Animo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

ab essentia, non prouenit formaliter ab ipsa essentia, quam ut sic non includunt, sed à seipsis; nam perfectionem, quam dicit in Patre relatio actiua generantis, dicit in Filio relatio passiuua generati. Tertio idem probatur: nam duæ cognitiones æquæ intensæ ac claræ, vna de Petro, de Paulo altera, sunt aliquantulum dissimiles, vt probauit Sectione precedenti, nec tamen villo modo sunt inæquales; perfectio enim quam in vnâ dicit esse representatiuam Petri, dicitur alterâ esse representatiuam Pauli; ergo dissimilitudo non dicit formaliter inæqualitatem, ergo possunt duæ species diuersæ æquales esse inter se.

Quarto: Quia ex ipsis terminis videtur manifestum, aliud esse diuersitatem, aliud inæqualitatem, ideoque in moralibus, quantumuis videamus res valde diuersas, adhuc sæpe tantam ac alteram æstimamus. Item in Physiis æqualem solent adferre voluptatem duo bona, quantumuis specie diuersa; & intellectui æqualiter solent arridere duo ingeniosi conceptus, quantumuis diuersi inter se. Idem est in alijs potentijs, ergo diuersitas specifica non arguit necessarium inæqualitatem, possunt ergo duæ species perfectione sibi æquiuale. Confirmo totum hoc manifestissimâ ratione: nâ videmus ipsis oculis, colorem rubrum & viridem esse notabiliter diuersos, eos autem esse inæquales, & vnum perfectiorē altero, non videmus, vbi enim vides excessum? & in quâ? Experientia autem nulla ostendit talem excessum; ratio item naturalis nulla est, quæ id vel probabiliter persuadeat: vnde fit, vt nobis profus sit dubium, quis eorum sit perfectior, aut an sint æquales. Cur ergo debemus dicere, necessarium eos esse inæquales? Quod si diuersitas ea notabilis, esset formaliter inæqualitas, vt hi volunt, certè videre, eos colores esse diuersos, ac videre esse inæquales, esset idem, quod falsissimum est.

Hic aduerte, malè à nonnullis ex aduersarijs doceri, in hoc puncto non licere nobis à diuinis relationibus arguere ad res creatas. Malè, inquam, doceri: nam rubrum & viridem colorem esse inter se æquales, etiam si sint diuersi, non arguit in illis infinitam perfectionem, vt per se est manifestum. Vel quæso des vnam vel apparentem pro hac infinitate perfectionis rationem. Ergo quoad hoc rectè possumus ex diuinis ad creaturas arguere. Ibi datur diuersitas in perfectionibus infinitis sine inæqualitate, ergo etiam in finitis perfectionibus dari potest diuersitas sine inæqualitate.

SECTIO IX.

Quæ partes informantur Animo.

166 QVÆSTIO hæc præcipuum locum obtinet in animantibus: nam in plantis certum est, omnes illas partes, quæ virescunt & augentur, viuere, totam scilicet arborem, folia, flores, fructus, radices, & cortices, quæ omnia per intussumptionem augentur; in animantibus verò, in quibus dantur ossa, caro, humores, dentes, vngues, &c. est grauis difficultas, vtrum omnes hæ partes, an aliquæ, & quæ illa sint, informantur animo.

Carnem animo informari, est certo certius: si quæ enim est in viuente quæ animetur, ea debet esse caro, quæ & præcipua est, & crescit per in-

tussumptionem; ergo viuunt, ergo informantur animo. Deinde etiam certum est, ossa, nervos, oculos, &c. informari animo, & quia sunt de præcipuis partibus animalis, & quia augentur per intussumptionem; nec in hoc vlla est inter Philosophos controuersia: circa sanguinem verò, & alios tres humores (de quibus idem est ac de sanguine dicendum) non modica est inter Doctores contentio.

SUBSECTIO PRIMA.

Sententia negans, sanguinem animari, proponitur, eiusque argumenta rejiciuntur.

SVAREZ Tomo 3, in 3. Partem, Disputat. 151. Slect. 3. §. Altera pars; Vasquez Tomo 1. in 3. Partem, Disput. 36. num. 20. Conimbricenses lib. 1. de Generatione, cap. 4. Rubius de Modo quo anima corpus informat, quæst. 8. à num. 207. & alij apud eisdem, quibus subscribunt nonnulli recentiores, opinantur, sanguinem non informari animo, sed aliâ formâ noui vitali. Mouentur, primò, quia sanguis est alimentum, quo reliquæ partes nutriuntur, sed alimentum non potest esse viuunt, ergo sanguis non viuunt, ergo non informatur animo. Vtraque; cõsequencia est euidentis. Maior negatur à nemine. Minor probatur, quia in nutritione datur conuersio substantialis vnius in aliud, ergo nõ potest alimentum, ex quo fit nutritio, informari eadem animâ alicui: si enim informaretur, non posset conuertere substantialiter in aliud, quia non differret ab eo substantialiter. Respondeo, negando Minorem, eius probatio omnino gratis effingitur, vnde enim, quæso, probant hi auctores, omnem nutritionem esse conuersionem substantialem? Respondebant, quia id ipsi intelligunt nomine nutritionis. Sed contra Primò, quia de hoc inquirimus rationem, cur scilicet nutritio solam significet conuersionem substantialem, quod ego nego, tu autem nullam affers rationem, quâ id probes. Contra deinde, quia si nomine nutritionis intelligis conuersionem substantialem, quia hoc nomen solùm vis applicare ad conuersionem substantialem significandam, tunc Maior tui argumenti, nempe, ex sanguine fieri nutritionem, non potest vllâ ratione à te probari; nec communis sententia docet, ex sanguine fieri nutritionem in eo sensu, in quo tu accipis nutritionem: neque item experientia potest vilo modo id suadere. Do tibi, nos doceri experientiâ, sanguinem conuertere in carnem, rogo, qui docet experientia, eam esse conuersionem substantialem, & non præcisè accidentalem, sicut quando ossa ex medullis, aut ex carne nutriuntur, non video, quo vel leui fundamento suaderi possit. Formas ergo tibi gratis propositiones, vt probes tuam sententiam. Dico igitur, ex sanguine solùm accidentaliter nutriri carnem & alias partes videntis, nec vilo modo esse absurdum, vnam partem animalis in alterâ parte introducere proprias dispositiones accidentales, quotidie enim videmus vnam manum ab alterâ calefieri, infrigidari, &c.

Secundò mouentur, Quia sanguis non crescit more vitali, sed per iuxta-positionem, sicut crescit aqua, ergo non viuunt. Sed Primò vellem mihi ab aduersarijs ostendi, vnde illis constat, sanguinem Ggg augeti

augeri per iuxta-positionem: cum enim numquam viderint sanguinem crescentem intra viuentem, à posteriori autem nullam habeant rationem, mirandum est, tam certò ab illis statui, sanguinem crescere more aquae.

Dices: Id infero, quia est liquidus. Sed contrà, quia sicut non omnia corpora densa augentur per intus-sumptionem, vt patet in metallis, neque omnia per iuxta-positionem, vt patet in carne & ossibus; ita similiter non valet dicere vniuersaliter, omnes liquores augeri per iuxta-positionem, neque omnes per intus-positionem, sed id reducendum erit in propriam naturam talis liquoris, aut talis corporis densi. Sed do tibi, 272 illum non animari: sicut quia ossa humana non sentiant, nec discurrant, non potest inferri, ea non informari animà sensitivâ & discursiuâ. Ratio à priori, quia non est necessarium, vt forma comunicet cuius subiecto omnes eas operationes quas absolute potest efficere, pendet enim à dispositionibus diuersis, quas non vbique habet.

Tertiò arguunt: Quia non continuatur cum alijs partibus, ergo non viuunt. Nego Antecedens. Licet enim non continuatur immediatè cum carne, continuatur tamen immediatè cum iecore & corde, cum quibus habet maiorem similitudinem, quàm ossa cum carne, cum quâ tamen continuantur. Dices, gratis à me dici continuari. Sed respondeo, numquid magis ex Iusticiæ rigore à te docetur non continuari? Vidisti enim sanguinem intra venas? aut vidisti carentiam vnionis? certè tam non vidisti non continuationem, quàm non vidi ego continuationem, ergo hoc argumentum nec pro me, nec pro te fit. Dices, numquam est deprehensa vena aliqua, aut neruus, quo fiat continuatio. Sed contrà, nam sine venis potest illa fieri, materia enim ex se sunt eiusdem speciei, & continuantur eo ipso, quòd foris sint contiguæ, neque aliquid amplius requirunt, cum ergo sanguis sit applicatus carni & venis, vnde infero cum non vniri. Dices, quia non habet animam; Bene, ergo probas non animari, quia non vnitur, & non vniri, quia non animatur. Dices secundo, quia separatur sine dolore. Sed contrà euidenter, quia hinc solum inferitur, cum non habere dispositiones pro sensatione. Atqui cum hoc stat, vt possit habere dispositiones vel pro augmento ab intrinseco, vel pro ipsâ animâ: quod probo manifestè, nam dispositiones pro sensatione sunt diuersæ à dispositionibus pro nutrimento ab intrinseco, aut pro animâ, vt aduersarij ipsi fatentur, in ossibus, dentibus, &c. (proueniat vnde cumque ea diuersitas, de quo iam non curo) ergo possunt in sanguine esse vnæ dispositiones sine alijs, ergo malè inferitur, non sunt vnæ, ergo nec aliæ. Dices tertio, te id inde probare, quòd sanguis cum impetu prodeat ex venis; sed contrà, quia hoc vt summum probat, non esse cum venis vnitum, non autem probat non esse cordi aut iecore vnitum; probo euidenter, nam ille sanguis, qui exit, est saltem vnitus alteri, qui intus est, & hoc non obstante exit cum impetu, ergo etiam si esset vnitus remotè cordi, exiret cum impetu, ergo iste impetus parum promouet tuam rationem.

275 Quartò arguunt: Sanguis è venâ fluens continuatur cum eo qui iam est in vase, & cum re-

manente in corpore, ergo totus informatur eadem formâ, ergo & animâ rationali, si verum sit, ipsum intra corpus illâ informari; abstrudum autem est dicere, animam rationalem esse in vase, ergo dicendum est, neutrum sanguinem animâ informari. Sed respondeo, sanguinem eo ipso quòd egrediatur è venâ, amittere propè summum calorem, & alias dispositiones quibus eger ad vnionem cum animâ, & consequenter discontinuari à reliquo sanguine in venâ remanente, & solum cum illo manere contiguum; sicut manet contiguum oleum cum aquâ, & vino, alijsque liquoribus diuersis. Vel, si vis, respondeas, etiam sanguinem foris existentem in scutellâ animari, quamdiu non dissoluitur eius vnio cum alio sanguine existente in corpore aut ab eo fluente: neque maius hoc debet apparere absurdum, quàm quando homini rupturam patienti intestina foris egrediuntur, illa enim etiam possunt poni in scutellâ (si propter scutellam scandalizatis) & ibi erit animus rationalis cum intestinis in scutellâ, quamdiu non diuiduntur, sicut in sanguine quamdiu non discontinuatur.

Vltimò: Quia Sanguis Christi Domini non animatur, ergo nec aliorum animantium. Consequentia est bona à paritate rationis. Antecedens probatur: quia si animaretur, esset vera pars Corporis Christi Domini, & consequenter ex vi verborum esset sub speciebus panis, quod est falsum, & contra Fidem. Sed rectè ostendit Hurta- 276 dus, hoc argumentum etiam virgri aduersarios: licet enim sanguis non animetur, verè tamen est tam de complemento & ornatu illius, quàm capilli, quantitas, &c. quæ non informantur animâ, sed quantitas capilli, &c. ponuntur ex vi verborum, vt omnes fatentur, ergo etiam & sanguis, licet non animetur, deberet poni, quia est complementum corporis.

Addo, Sanguinem esse partem corporis, negari à nemine posse, est enim definitum à Pontifice, esse partem hominis, vt dicam statim: non autem est pars animæ rationalis, nec est pars seorsim, quia homo solâ animâ & corpore consistit dicitur; ergo debet esse pars corporis, ergo, siue animetur siue non, deberet ex eo capite poni ex vi verborum; ergo argumentum omnibus est commune. Ei respondeo, carnem & sanguinem sæpè distingui in Scripturâ, & nomen corpus in eâ vsurpari pro solâ carne ac partibus solidis, sanguinem verò pro solis partibus fluidis, etiam in rigore physico corpus includat & partes solidas & fluidas; sicut etiâ homo solet vsurpari pro solâ carne, etiam si in re includat, vt partem essentialem, animam spiritualem; & in hoc sensu intelligendum est, quòd dicitur, *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuertèris*, quòd non de toto homine, sed de solâ carne intelligendum est. Nec licet hinc inferre, animam non esse partem hominis, quia non est puluis, nec in puluerem potest abire. Hoc ergo posito, dico, Christum Dominum nomine corporis intellexisse non quidem omnes partes, quas in rigore corpus includit, sed eas quæ solidæ sunt, nomine verò sanguinis partes fluidas, quales sunt sanguis, & tres alij humores. Congruentia ad hoc factis bona est, 277 quia venerabilis Eucharistie Sacramentum instituebatur per modum cibi & potus, partes autem fluidæ sunt ineptæ in cibum, aptæ in potum, & cum

contrario, partes solidae, in epa potui, apta in cibum: ideoque illa non includuntur nomine corporis in presenti, secus haec, siue ambae animantur siue non, quod aliunde discutendum est.

SUBSECTIO SECVNDA.

Sanguis animatur.

PROBABILOREM ego reputo oppositam sententiam, docentem, sanguinem animari. Ab ea stant Conradus, Medina, & ahj apud P. Rubium supra; item Hurtadus Disputatione 1. de Anima, §. 33. vbi nonnulla congecit Scripturae & Patrum testimonia, quae non parum praedictam roborant sententiam; praesertim ex Augustino quaest. 57. in Leuiticum, vbi expressè id docet.

280 Sed antequam probationem subiciamus, aduerte, nonnullos distinxisse duplicem sanguinem, alium magis decoctum, defaecatum, & purum, quem dixerunt animari; alium verò minus perfectum, cui vitam negauere. Sed certè haec distinctio duplicis sanguinis omnino videtur sine fundamento excogitata, quia differentia penes maiorem vel minorem concoctionem, non arguit diuersitatem substantialem, sed solum accidentalem, nec à ratione aut experientia potest ea diuersitas substantialis sanguinis persuaderi, quapropter idem dicendum est de vitroque, si verè detur duplex sanguis inaequalis in ea concoctione ad Mentali.

281 Ergo sanguinem animari, probatur à nonnullis, quia immediatè assumptus est à Verbo, vt Fides docet; sed Verbum non assumptit naturam irrationalem, ergo sanguis informatur animo rationali. Sola Minor eget probatione, quae sit: impossibile est, Verbum diuinum vnitri naturae irrationali, quia videtur dedecere tantum Deum vnio cum tam imperfecta creaturâ, qualis est irrationalis; ergo de facto non est vnium cum illâ. Huic adde etiam probationem eiusdem Minoris: quia si Sanguis, cui, vt supponimus, Verbum est vnium immediatè, esset natura integra distincta ab homine, posset dici de facto, *Deus est sanguis*, sicut dicitur, *Deus est homo*, consequens est absurdum; ergo dicendum est, sanguinem non esse naturam distinctam ab homine, sed par-

282 tem illius. Non viget hoc argumentum, facile enim negatur Minor ab aduerariis. Ad eius primam probationem responderetur, non dedecere Deum vnionem cum naturâ irrationali; quapropter maior & melior Theologorum pars, possibile docet vnionem Verbi aut alterius diuinæ Personæ cum qualibet irrationali creaturâ, de quo non est nobis in presenti disputandum, est enim difficultas merè Theologica. Ad secundam probationem responderetur, in rigore posse dici, Deum esse sanguinem, etiam si sanguis sit pars hominis, sicut dicitur, *Deus est caro*, quantumuis caro non sit natura completa, sed pars hominis. Imò fortè quis contenderet, potiori iure posse dici, Deum esse sanguinem, quàm Deum esse

283 carnem. Ratio à priori est, quia sanguis est pars integralis hominis, dicens materiam & formam & substantiam partialem. Verùm hæc differentia non videtur esse sufficiens, nam sanguis significat solum vniam partem essentialem, nam proprie non dicit animam magis quàm eam dicat corpus aut caro.

Melius ergo suaderi potest nostra sententia Primò, quia sanguis est vera pars hominis, pertinens ad veram illius constitutionem, ergo verè animatur. Patet consequentia, quia partes totius debent formâ totius informari. Antecedens suadet ex Innocentio III. in Extrauag. de Celebratione Missæ, vbi docet, aquam & sanguinem fluxisse de latere Christi, vt ostenderetur Christum habuisse quatuor humores, qui pertinent ad veram hominis constitutionem. Item ex Tridentino Sessione 13. cap. 3. vbi docet, per concomitantiam, quâ partes Domini inter se copulantur, sanguinem esse sub speciebus panis, & corpus sub speciebus vini, ergo sentit Concilium, sanguinem & carnem esse veras hominis compartes, ergo animantur eadem animâ. Idem ex Concilio Ephesino in Epistola ad Nestorium, vbi dicitur, Verbum factum esse hominem assumptione carnis & sanguinis, quibus clarè sentit, hominis partes esse carnem & sanguinem.

Respondetis, sanguinem dici partem hominis non integram, sed quia necessarius est ad hominis conseruationem, & perfectum statum; item & ad obeundas operationes vitæ. Sed contra Primò, quia Concilium non aliter dicit, sanguinem esse partem hominis, quàm corpus seu carnem; eodem enim modo videtur sentire de vitisque, ergo sicut corpus est vera pars integralis, ita erit & sanguis. Contra Secundò, quia in sentu à te explicato etiam calor, quantitas, ceteraque accidentia possent dici vera pars hominis, quia tam necessaria sunt homini ad conseruationem vitæ, item & ad exercendas operationes vitales, quàm sanguis. Neque obstat, sanguinem esse in se substantiam, calorem verò accidentis: quia cum sanguis non vnatur cum corpore & homine, respectu illius perinde est esse substantiam, ac si esset accidentis; nam pars, vt à te in presenti explicatur, solum dicit id quod est necessarium ad conseruationem animalis, & ad operationes vitales illius, hoc autem propriissime conuenit calori, quantitati, & aliis dispositionibus, quantumuis sint accidentia; ergo sicut calor non dicitur vera pars hominis, ita nec dicitur sanguis, si non animatur.

Secundò probatur nostra Conclusio: quia deficiente sanguine homo manet mutilus, sed pars integralis est illa sine qua animal est mutilum, ergo sanguis est pars integralis hominis. Consequentia est euidentis. Minor probatur, quia si non deest animali vlla pars integralis, ergo est integrum, & non mutilum. Maior denique est certa, quia homo est vltimo sanguine redditur ferè inuisibilis ad vitæ functiones, & examinatur magis quàm si abscinderetur illi manus vel brachium, quod non oritur ex defectu alimenti; nam tam breui spatio non posset consumi animal à calore naturali, qui non est adeò vorax, vt ferè in instanti consumeret ex defectu alimenti alias partes, ergo perit animal ex defectu sanguinis, quia illi dehebit vna ex præcipuis illius partibus.

Sed dices: Deficiente etiam aëre pro respiratione, necessario homo perit, cum tamen aër non sit vera pars hominis, ergo eò quòd ex defectu sanguinis pereat, non inferitur, sanguinem esse veram illius partem. Sed contra, quia si conseruaretur homo sine aëre (vt fortè conseruauerunt in

caelo homines Beati) adhuc verè esset integer & perfectus homo; si autem conferuaretur sine sanguine, adhuc esset mutilus. quis enim dicat hominem sine sanguine esse integrum & perfectum? Ergo aliter perit homo ex defectu sanguinis, aliter ex defectu aëris: illius, vt ex defectu patris; huius, vt ex defectu corporis temperantis calorem cordis, ne animal suffocetur. Imò hinc redarguo aduersarios: licet enim aër sit necessarius ad conseruationem hominis, nullus tamen dixit, cum hominis esse partem, omnes autem dicunt, sanguinem esse partem hominis; ergo sanguis aliquid aliud habet vltra hoc quod est requiri ad operationes vitæ: hoc autem nihil potest esse, nisi continuari cum aliis partibus, & consequenter eodem animo viuari.

288 Posslet quis respondere Secundò, sanguinem, etiam si informaretur diuersâ formâ, verè esse partem hominis, & verè continuari cum carne, sicut in sententiâ constituente partes heterogeneas diuersâ specie formâ animatur sanguis equi ab eius carne, licet vniantur inter se; & idem est in ponentibus formas partiales diuersas, continuatas tamen.

289 Hæc solutio reuerteretur ab aliquo, eò quòd res diuersæ speciei continuari non possunt. Sed ego supra hanc rationem dixi non esse efficacem. Melius ergo potest reici, quia sanguis non est pars essentialis hominis, vt omnes fatentur; pars enim essentialis est vel materia, vel forma; sanguis autem in hac acceptione est totum quoddam essentialiter completum ex materiâ & suâ formâ, ergo non est pars essentialis hominis. Est euidens consequentia, quia pars essentialis, vt talis, non potest esse completa essentialiter, sed complebilis. Deinde nec potest sanguis esse pars integralis hominis, nam homo in tuo conceptu essentiali dicitur necessariò animam rationalem, vt per se est notum, ergo pars integralis hominis necessariò debet dicere partem materiæ vitæ illi animæ.

290 Patet euidenter consequentia, quia pars integralis totius, semper dicit essentialiter id quod totum ipsum essentialiter includit: sic pars integralis aquæ dicit necessariò formam aquæ & materiam vnitas inter se, & in hoc differt pars integralis ab essentiali, quòd hæc non includit omnia essentialiter, sic verò integralis; atqui sanguis non est completus essentialiter animâ rationali, ergo non potest esse pars hominis integralis, ergo nullo modo propriè potest esse pars, quia non est alia pars quàm essentialis & integralis, neutrum autem ex his habet, ergo. Confirmatur: anima rationalis in omnium sententiâ in ratione formæ est totalis & completa seu adæquata forma, ergo non potest vnum per se facere cum sanguine. Imò valde agrè percipitur (etiam si, vt dixi supra, absolute res aliqua diuersæ speciei possint continuari) quomodo anima spiritualis vniantur vnione continuatiua cum formâ sanguinis, tum ob summam diuersitatem, tum quia iam anima rationalis esset capax compositionis extensiuæ, sicut punctum materiæ, quod est capax continuationis cum aliis partibus; tunc autem omnes ex aduersariis, qui spiritualitatem in carentiâ partium constituunt, tenerentur dicere, non minus animam rationalem esse materialem, eò quòd posslet facere extensionem cum aliâ formâ, quàm punctum materiæ, licet in se indiuisibile,

291 fit tamen materiale, quia est capax faciendi cum aliis extensionem & continuationem, quæ omnia apertè sunt falsa. Quòd si anima rationalis non continuatur cum sanguinis formâ, nec materiæ vtriusque continuabuntur, neque poterit sanguis esse pars hominis, nam partes debent esse inter se vnite.

SVBSECTIO TERTIA.

Quid de aliis rebus sentiendum sit.

PRIMA CONCLVSIO. Dentes verè animantur. 291
Hæc est præcedente confirmatio, quæ probat apertè, quia dentes augentur per intus-sumptionem, sicut caro, ergo viuunt. Consequentia est bona. Antecedens probatur experientia manifestâ, quia dentes non solum crescunt versus longitudinem, sed etiam versus latitudinem; & illa pars dentium quæ est extra carnem, & in puero est angustior, fit latior & in eodem adolescentæ, illi autem parti non applicatur materia, quæ per iuxta-positionem possit crescere: neque enim augentur dentes, quia iuxta illos applicemus materiam quæ in dentes conuertatur; ergo illud argumentum versus latitudinem partis extremæ necessariò fit attractione materiæ per poros dentium, & conuersione ipsius materiæ in ipsos dentes, quod formaliter est augeri per intus-sumptionem. Confirmatur prædicta sententiâ, quia dentes sunt valde ossibus similes, imò speciei ossium, ergo animantur sicut illa. Confirmatur Secundò, quia continuantur cum carne per quoddam fibras, ergo eadem formâ cum illâ informantur.

Sed obiicit: Dentes sponte decidunt, vt patet in senibus, ergo non sunt vera pars hominis. Patet consequentia, quia nulla pars integralis hominis decedit sponte, ergo. Hoc argumentum vim habet contra aliquos, inde probantes, semen non animari, quia decedit sponte. Nos respondemus Primò, negando sponte decidere, sed ob aliquem morbum, vel ob defectum virtutis ad eos conseruandos, ideoque homines sanissimi, quantumuis senes, retinent omnes dentes, etiam molares; si autem sponte deciderent, deciderent sanè in omnibus. Secundò respondeo, etiam si sponte deciderent, nihil inde inferri: sicut enim in senibus caro magnâ ex parte minuitur, nec tamen inde licet inferre, eam non animari, ita nec licebit in dentibus. Ratio à priori est, quia sicut tunc animal morti appropinquat, & ob solam senectutem sine alio morbo, vt communis opinio docet, separatur sapè anima à corpore, quantumuis fuerint ante per se vnite; ita etiam, licet dentes aliis partibus vniti fuerint, ob ipsam senectutem mutuo separantur, quia deficiunt dispositiones requisitæ vt continuentur cum carne.

SECUNDA CONCLVSIO. Plumæ auium animantur. 292
Probat apertè eadem ratio quæ de dentibus, quia extremæ partes plumæ augetur versus latitudinem, quòd augmentum non fit ex conuersione aëris iuxta positi, aut alterius corporis plumas circumdantis, ergo fit per attractionem materiæ per poros plumæ, & consequenter per intus-sumptionem.

TERTIA CONCLVSIO. Capilli animantur. Hanc probat probabiliorem, propter aliquas experientias

tias facis notas. constat enim, aliquando homines, vehementi mortis repente imminenti periculo terrosos, intra vnius noctis spatium incanuisse; si autem pili essent pura excrementa, nec haberent poros, per quos vitaliter qualitates & humores lugerent, repugnaret planè talis mutatio ex solâ apprehensione animæ: licet enim vsque ad radices capillorum humores illi traherentur, non possent inde immutare totum capillum, præsertim longum. Confirmatur: capilli semel abscissi retinent colorem vbiicumque ponantur, ergo ab agentibus extrinsecis non ita alterantur in colore, ergo purè extrinsecè non potuissent colorem album accipere, præsertim si in solâ radice applicaretur humor; debet ergo fieri ea conuersio in humorum, qui ex animæ apprehensione alterari, totum permeant corpus, & per vitales poros sparsi, capillos mutant. Nec potest fieri per operationem in distant operando in medio, quia si ita fieret, certè casu quo capilli alij non vni essent iuxta illos, deberent per eam actionem canescere, quod est falsum.

Dices Primò: Res tam subtilis non potest habere poros. Respondeo, negando Antecedens: in aristâ enim sunt tam subtiles fibræ, quæ in omnium sententiâ animantur, & consequenter habent suos poros, per quos alimentum lugunt.

Dices Secundò: Capilli crescunt sine termino, ergo non animantur. Respondeo, transeat Antecedens, & nego consequentiam: nam cum capilli exiguas requirant dispositiones, & spatium habeant quo possint dilatari, non mirum si non habeant terminum. Sic sanguis etiam si augetur, possit dilatari, si locum haberet. Adde, etiam si capilli valdè multum crescunt, habere tamen suam determinatam magnitudinem; non enim perpetuò crescunt, vt experientia docet in his qui nunquam eos abscindunt.

Dices vltimo: Ex quadam arbore fieri vnguentum, quo si capilli tangantur, redduntur cani (ita Plinius & alij testantur) ergo capilli possunt non vitaliter canescere; ergo non probatur sufficienter eorum vita argumento supra factò.

Respondeo Primò, ex modo, quo id fieri dicitur, me probare meam sententiam: dicunt enim nonnulli, id fieri tangendo cutim solam; quod proculdubio fit ex qualitate aliquâ venenatâ, quæ caput penetrat, ibique humores immutat; hi autem vitaliter attracti, colores destruant in capillis, eosque reddunt canos. Respondeo Secundò, etiam si per eum contactum eius vnguenti, aut femiueneni, capilli alterentur non vitaliter, non tamen posse id facile explicari in homine ipso, si solùm ex eo quòd humor accederet ad radices, possit inde totum longissimum capillum mortuo modo immutare. Si enim ibi non sit attractio vitali modo, sed producendo per medium qualitatem physicam, albedinem v. g. certè si ibi essent capilli abscissi, deberent eo modo immutari, quod est falsum. Sequela verò probatur, quia non videtur posse explicari, quid faciat ibi continuatio capillorum, si actio non fiat vitaliter, ad actionem enim mortuam sufficit contactus localis: sic quia torpedio inficit non vitaliter, non requirit vnionem physicam, sed contactum brachij piscatoris v. g. cum funiculo per quem immittit eam qualitatem: ergo si illi humores mortuo modo per capillos immitunt eam qualita-

tem, immittent etiam in alios capillos non vnitos, sed solùm ligatos his qui sunt in capite; hoc autem planè est incredibile, ergo ea immutatio fit vitali modo, ergo viuunt illi capilli. Hæc est valdè probabilis ratio; non tamen euidenter conuincit; ideo solùm dixi supra, id esse probabilius.

QUARTA CONCLUSIO. Probabilius est, vngues animari; sunt enim partes manus illam iuuant ad suas actiones, & sine quibus manus esset manca. Hoc intellige de medijs vnguib; nam extremas illorum partes probabilius est non animari, sunt enim excrementa, quæ non habent magnitudinis terminum, licet etiam probabiliter dici possint animata.

Sed obieciens Primò, Etiam si in medijs vnguib; duo puncta signes, semper eodem modo inter se distabunt, quòd signum est, non augeri per intussumptionem, sed per iuxta-positionem, ergo nec viuunt. Quidquid sit de experientia, quam obseruari numquam, nego consequentiam: quia sicut non licet inferre, ossa non animari formâ sensitivâ, quia non sentiunt, ita non licet inferre, vngues non viuere, quia non augeantur more vitali.

Dices Secundò: Medij vngues continuantur cum extremis, ergo vel omnes viuunt, vel nullus. Respondeo, negando vnionem, & concedendo contiguitatem, qualis est inter excrementa & partes viuas.

QUINTA CONCLUSIO. Semen & lac non animantur. De femine probatur, quia puer absolute est integer, quantumuis non habeat semen. Deinde, quia semen non ordinatur propriè ad se, sed ad aliud, nempe ad generationem, vnde non est viuens pars, sed instrumentum inanime illius.

Dices Primò, Eunuchos non esse homines integros præcisè, quia carent femine, ergo semen est de integritate hominis. Respondeo, eunuchos non esse integros, non quia deficiat semen, sed quia deficiunt partes à quibus efformabatur.

Dices Secundò, in filijs esse partem patrum, hæc autem solùm est per semen, ergo semen erat pars patris. Respondeo, quando filius dicitur habere aliquid patris, non esse ita intelligendum, vt habeat aliquam partem integram patris, sed materiam ab ipso patre decisam, licet hæc non animo patris informetur.

De lacte probatur etiam Conclusio, quia non ordinatur nisi ad alterius nempe pueri cibum, quo fit, vt non possit esse pars integrans viuens, pars enim viuens ordinatur ad constitutionem & complementum illius, non verò ad constitutionem alterius. Confirmatur, quia etiam si non habeant feminae lac, adhuc sunt integræ; neque enim dicendum est, ante partum eas non esse integras, eò quòd careant lacte quod habent post partum; imò hinc confirmatur, quod primò diximus, nempe lac solùm esse in puerorum cibum.

Sed dices: Lac est sanguis imperfectè coctus, ergo viuunt. Patet consequentia ex dictis num. 280. vbi vtrumque sanguinem diximus animari. Respondeo, negando Antecedens, quia sanguis est calidissimus, lac verò frigidissimus, vnde non penes magis & minus differunt, sed opponuntur omnino, ideoque nec eadem formâ informantur.

tur. Quando autem supra diximus, sanguinem imperfectè coctum animari, non loquebamur de lacte, quod, vt diximus, non est sanguis: imò si ab aliquibus sanguis dicatur, adhuc non est is de quo locuti sumus, ille enim est communis mari & femina, differtque à perfectò sanguine, quia non habet tot gradus caloris quot ille, licet absolute habeat multos; lac autem est proprium feminae, item & omnino diuersum à sanguine, vt diximus.

SECTIO X.

Quo tempore producatur Animus.

300 **Q**VAESTIO hæc solum habet locum in animo rationali; animæ enim bruti & plantæ, cum materiales sint, dependent, vt à causâ intrinsecâ, à materiâ, ideoque non prius existunt quàm illi vniantur eo instanti, in quo materia vltimò disposita est ad eas formas, & in quo corrumpitur aut definit esse in subiecto præcedens, cum illâ incompossibilis eo naturæ ordine, quo in Physicis diximus, agentes de causâ formali; ergo in animo rationali, qui independens est à corpore dubitari potest, vtrum sicut, postquam semel materiâ vnitur, potest ab eâ separari, & separatus existere, ita etiam ante vnionem sui cum materiâ extiterit, aut existere potuerit aliquo tempore.

301 **O**rigeni tribuitur error, adstruens, animas productas fuisse à Deo multò ante vnionem illarum cum corpore, cuius erroris potuissansâ desumi ex Genesi cap. 2. vbi dicitur Deum requieuisse ab vniuerso opere quod patrarat; ergo iam produxerat omnes animas deinceps corporibus vnientas, alioquin non requieuisset Deus, sed potius quasi continuasset laborem. Non fauet villo modo huic errori Genesius locus, quo non docetur, Deum tunc produxisse omnem creaturam, alioquin etiam omnes formæ materiales substantiales & accidentales, item & spirituales accidentales, iam tunc productæ fuissent, quod nec aduersarij delirarunt, nec continua rerum successio, generationes, & corruptiones nouæ in controuersiam adduci patiuntur. Ibi ergo se explicat Scriptura, dicens, Deum requieuisse ab vniuerso opere quod patrarat, id est à creatione nouorum elementorum, corporum, specierum, aut, vno verbo, mundi machinæ, quo non negatur, alia entia post eâ à Deo creanda.

Contra hunc errorem stat definitio Leonis Magni Epistolâ 31. contra errores Priscilianistarum, & Concilij Constantinopolitani in Epistolâ Sophronij, quare circa factum nulla est in præfenti difficultas cum Catholicis.

Est tamen, vtrum id fundetur in ipsâ naturâ animæ, exigentis non prius produci quàm vniantur cum corpore, an verò id solâ Dei voluntate prouenerit. Ratio dubitandi insinuatæ est supra, & desumitur ex independentiâ animi à materiâ: quia si sit ob hanc potest conservari post vnionem sine materiâ, ita etiam videtur posse existere ante vnionem. Vergetur difficultas in sententiâ docente, separationem non esse animæ violentam, sed potius illi meliorem coniunctionem ad corpus, propter perfectiores operationes, quas extra corpus exercet; ergo connaturalius illi foret produci extra corpus, quàm in illo. Confirmatur, quia

exitisse prius in corpore, est pura denominatio extrinseca, quæ nihil videtur conducere ad existentiam animæ extra corpus; ergo sic post existentiam in corpore potest sine illo conservari, ita & poterit ante existentiam in illo.

Nihilominus tamen dicendum est cum communi, animam naturaliter exigere primò produci in materiâ. Ratio est, quia anima verè est ens incompletum, & de se dicens ordinem ad materiam. Imò quantum est ex vi naturalis inclinationis, nisi ab agentibus contrarijs expelleretur, semper in materiâ conservaretur: neque enim ipsa exigit, sed præcisè patitur separationem à materiâ; ergo minimum in primo instanti debet produci in ipsâ materiâ, vt vel sic primò producatur completa. Quod si postea separata à materiâ appetitū elicitō voluntatis refugiat vnionem, id non arguit, etiam separatam appetitū innato non inclinari in vnionem corporis. Pro quo aduerte, stare optimè appetitū elicitū innato contrariari, appetitus enim innatus cum sit ab ipsâ naturâ, inclinatur in bonum naturæ & vniuersi, quod bonum præcipuè consistit in integritate substantiali illius; est enim maxima perfectio naturæ, complementum substantiale illius; appetitus autem elicitus, qui oritur ex cognitione representante bonitatem in obiecto, sapè est contra inclinationem naturalem, propter bonum ali-quod relucens in re amata, etiam si contraria naturæ. Et hinc fit, quantumuis naturæ se inclinatur in bonum delectabile, appetitū tamen elicitum sæpè abhorret ab illo bono, inclinaturque in oppositum, vt contingit quotidie in hominibus iustis, fugientibus bona delectabilia contra naturæ inclinationem, & amplexantibus dolores naturæ dissonos, propter honestatem moralem in illis repertam. Dico ergo, animam appetitū innato & naturali semper inclinari in corpus, & hinc oriri, vt separatio ab illo sit, & (vt inquit Aristoteles) omnium terribilium terribilissima; appetitū autem elicitō poterit inclinari in separationem propter specialem bonitatem quam sibi in eo statim promittit. Cum ergo appetitus innatus sit prior & magis intrinsecus quàm elicitus, oportuit vt primò illi satisfieret, & anima in materiâ produceretur, postea verò maneret locus, vt fieret satis appetitū elicitō.

Ex his patet ad rationem dubitandi, animam, quantumuis independentem à materiâ, adhuc esse substantialiter incompletam, & ordinari naturâ suâ appetitū innato in complementum substantiale sui, ideoque debere primò produci completam, quantumuis postea possit incompleta conservari. Vterius id suadet, quia Deus vt auctor naturalis, debet omnia in esse perfectò producere, imò & conservare, nisi agentia contraria id impediant. Cum autem in primâ animæ productione nullum contrarium peccat animæ productionem extra materiam, videtur quæsi teneri Deum eam completam in materiâ producere. Quod autem postea conservet eam incompletam, prouenit ex contrarijs agentibus, dissoluentibus illius vnionem, quare non in Deum id refunditur, sed in causam secundam.

Hinc colliges, non esse denominationem purè extrinsecam, & impertinentem in ordine ad præsentem questionem, exitisse aut non exitisse animam in materiâ vt existat postea sine illâ, vt ob-